

procum à me, aut ad longum tempus adhuc distant, sed proximæ jam sunt, & velut ante pedes: eas quasi vias occuparunt, per quas eundem mihi foret.

**רְגֵל** inciderunt ipsi in eam: ) hoc tandem est exoptabile illud conatum adeò perniciosorum epiphonema, Deò nimirum procurante, ut consilium consultori fieret pessimum. Cujusmodi eventus etiam suprà meminit Psalm. VII, 19. vide Prov. XXVI, 27.

## EXPLICATIO VERSUS VIII.

**נָכַן** paratum atque in bono hoc proposito plane obfirmatum est cor meum: ) nempe ad decantandas Tibi, Domine, laudes debitas, ceu sequitur. Utrumque, tum præparatio, tum solidare rei alicujus confirmatio, indicari solet hōc verbō **נְפָרָא, סְבִילָה**, ceu dictum fuit, Psalm. XXXVIII, 18. LI, 12. Repetitur vero bis eadem hōc propositio, præ gaudio nimirum, atque ad constantiam animique ingenuitatem eō melius sic declarandam; ( fermè ut suprà vers. 2. miserere mei, miserere mei: ) q. d. paratum est cor meum, imò exanimō loquor, quod tu, Deus omniscie, nosti, paratum est &c. Rasche: paratum est cor meum tam in exercitiō judicii, quam misericordia: quod ipsum tamen scopo præsentī minus quadrat. NB. Versus 8. 9. 10. II. 12. repetuntur iisdem ferè verbis sub initium Psalm. CVIII.

**אֲשִׁירָה** cantabo: ) h. e. paratum est cor meum, ut decantem. Ita namque coherere hēc duo membra, evidentia contextū monstrat. Nectuntur vero duo verba ferè synonyma, **שָׁוֹר cane-re voce, וְפִזְבָּר psallere instrumentis**, ad copiam hymnorum varietatemque h. m. exprimendam.

## EXPLICATIO VERSUS IX.

**עֲוֹרֶת** evigila gloria mea: ) sicut suprà vers. 6. compellaverat Dominum; ita nunc postquam exauditionem spe præsentissimam sibi stitit, compellat etiam semetipsum, ad exsolendum opitulatori huic promisso laudes decentes. Opponitur autem hocce **עוֹר evigilate, dormitione vel negligenter desidiosæ**, ubi tardi ac oscitantes sumus ad rem aliquam peragendam, ( confer Psalm. XLIV, 24. evigila, quare dormies? ) quomodo hac ipsā voce Debora suam depellere voluit somnolentiam, tepiditatem aut timiditatem, Jud. V, 12. **עוֹרִי עֲוֹרִי** evigila Debora &c.

**כְּבוֹד** gloria mea: ) i. e. anima; ita Kimbi & Genebrardus, vel lingua mea; ita plerique Latini, quæ plurimam conciliare mihi potes gloriam, vel gloriosum me præ aliis reddere, si recte te utar; vel quæ Deum glorificas. Sic Gen. XLIX, 6. non unietur **כְּבוֹד** cœtui ipsorum: Psalm. XXX, 13. ut psallat tibi **כְּבוֹד** & non fileat: & Psalm. CVIII, 2. 3. paratum est cor meum, canam & psallam, etiam gloria mea: evigila nablium & cithara, &c. Psalm. XVI, 9. exultabit **כְּבוֹד** ubi LXX. & post eos Lucas Actor, II, 26. expresserunt per γλαστρα. quod etiam arripit Glaff. I. 5. p. 25. & Muis h. l. Aliqui, ut Flac. in paraph. gloriam per Nablium, quod sequitur, exponunt: hēc quippe instrumenta Davidi, tanquam musico perito, magnam conciliabant gloriam. Sam. XVI, verum id à cœteris Scriptura locis alienum.

**רְגֵל** nablium & cythara: ) Deutroque Psalm. XXXIII, 2. Ridiculus hīc est R. Salomo: exci-

A ta me, o nablium & cythara, appensa juxta, lectum meum, qui apertus est vel patet lateri septentrionali, quamprimum ergo adest noctis medium, ventusque septentrionalis inflat ea instrumenta, David surgit occupaturque in lege; item Bungus num. p. 299. qui per psalterium animam, per lyram corpus intelligit. Sed sufficiat, prosopopœia hac Davidem omnia sua divinæ laudi consecrare.

**אֲשִׁירָה evigilabo:** ) intransitivè sicut Psalm. XXXV, 23. **הַעֲרָה** evigila & expurgescere: sic Aben Esra. adeoque iterum subtilis nimis Rasche, qui transitivè accipit h. m. excitabo auroram, non vero aurora excitabit me.

**שָׁרָר mane:** ) i. e. citissimè, ubi primum modò auxiliū diluculum cœperit promicare; imò quāvis etiam dierum inde sequentium aurora, ubi expeditissimi adhuc sunt spiritus, minusque hoc pietatis exercitium solet interturbari per negotia strepitusque diurnos. vide infrā Psalm. CVIII, 3.

## EXPLICATIO VERSUS X.

**אָוֹדֵךְ** celebrabo te, psallam tibi &c.) iterum per epexegesin vel **בְּצִיעָרָה** constantia gratitudinis Davidicæ declaratur, quod non domi solū aut inter amicos, sed **בְּאַמִּים** in magnō tot popolorum in sacris concursu, & **בְּנָצְנָה** in nationibus, vel inter homines diversarum planè nationum, hanc sui liberationem non mediis politicis causisve naturalibus, sed soli Deo velit tribuere, aliosque ad similem fiduciam ac gratitudinem simul invitare. Aben Esra de Israële, **עַטְמָם לְאַמִּים** de alienigenis exponit.

## EXPLICATIO VERSUS XI.

**עַד שָׁמַיִם** ad cœlos usque gratia tua magna est: ) h. e. inexhaustæ plane amplitudinis, fermè sicut vastissima illa inter cœlos atque terram intercapedo nullis mensurari potest funiculis vel ulnis. Sic namque infinita planè media novit Deus ad liberandum, imò gratiosum se præbet istis, istoque tempore, qui gratiam, & quidem rebus ita conclamatis, promittere sibi nunquam fuissent ausi. Particula autem **עַד usque**, vel tota potius phrasis, non strictè debet accipi, ac si divina gratia finibus tandem suis circumscratur, sicuti spatium illud aëris tandem luna finitur concavo; sed pro captu vulgi infinita describitur immensitas, à nullō hominum pervestigabilis. Quapropter pro hōc in textu parallelō Psalm. CVIII, 5. ponitur **שָׁמַיִם** super cœlos.

**שְׁחָקִים** nubes altissimas vel tenuissimas: ) vide Psalm. XVII, 12. Piscator negat de nubibus id accipi; sed frustrā.

**מְרֻחָה** veritas tua: ) h. e. ubi veritas promissorum ab hominibus servandorum suos facile reperit limites, imò exiguis sēpē terminis circumscribitur; ibi Tua, Domine, integritas est planè inculpabilis ac infinita. Imò ubique omnes te veracem liquido experiuntur per universa atque singula terra climata.

**רוּמָה**: ) repetitur denuò versus intercalaris sextus. quippe in hac unâ Dei sui gloria omnium optimè Davidis anima acquiescit.

USUS